

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XLIX. De fratre converso.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

perseveres juxta me omni tempore, et sic ab omni permanebo libera malo.

Domna moderatio, semper mecum remaneas, quatenus semper ego ad Dei servitium sim parata.

Domna temperantia, sis thalami mei cameraria dilecta; te valde diligam, durum lectulum mollem efficies, vilibus cibis condimentum adjicies, in paupertate potentiam ministrabis; quod ex Dei bonitate procedit.

Pax et tranquillitas mihi non deerunt, in omnibus viis meis mecum ambulabunt; qui enim multum loquuntur, multumque vagantur, vix honorem tuentur; qui de fama fabulantur, nihil sibi utilis usquam metent.

Sapientia omni tempore perseverat cum amore, quæ est omnium virginum magistra. Custodit quocumque amor dederit, et si quid didicerint vel legerint homines, utile reddit. *Castus vero pudor* hoc sibispeciale habet, ut libenter coram omnibus sine laude recedat.

Nunc ergo his virginibus sum bene possessa; duæ sunt etiam quarum oblivisci nolo, *timor* et *perseverantia*; ambæ mecum remansuræ sunt, sicque omnes meæ puellæ suum optime perficiunt officium.

Gratias tibi ago, carissima virgo, Dei amor, Domna imperatrix, quod omne mihi auxilium dedisti, exuli in via ad cœlum peregrinanti.

XLIX. DE FRATRE CONVERSO.

In ordine Prædicatorum Frater fulmine ictus periit, et pro ejus anima cum magno fervore et fidelitate oraverunt, ut si quid adhuc in ipso immutatum remansisset, ipsi condonatum foret. Tunc visa est ejusdem anima personæ pro ipsa oranti, quæ jam pulcherrima in celi deliciis et absque omni poena versabatur. Et hoc inde erat ut anima dixit: Eram in opere meo humilis, in sensibus meis timens, et ad quocumque bona voluntate pronus, unde nullam patior poenam. *Animæ*: Cur igitur statim cœlum non intrasti? Respondit: Ante omnia hic debeo divinam accipere cogni-

tionem et cœlestem amorem, quo carui in terris. — Unde vero istas parvas habes in facie maculas? Dixit: Faciem meam his qui voluntatem meam non explebant, austera[m] præferebam, quod in me non mutatum mansit. — Et quomodo doleri possent hæ maculæ? Dixit: Unum si haberem suspirium. Quod quidem ipsi ab homine fieri non potuerat, quia tempus defuerat; sed tunc cum datum fuisse[t], gavisus est dixitque: Nunc deletum est. — Cur hanc defers coronam cum nondum ad cœlum pervenisti? Res pondit: Mortem speciale[m] subii, inde mihi Deus hanc contulit coronam.

L. DE TIMORE IN DONIS DEI.

EIA dilecte Domine Iesu Christe, qui æternus es Deus cum æterno Patre, memento mei. Gratias ago tibi pro specialibus donis quibus me incessanter penetrasti, et ossa mea, venasque meas et omnem carnem meam præcidisti. Cum tui in pia gratitudine recordari possum, tunc, et non aliter, secura sum. Vilem famulam in vilitate retinere potes, quia intentio tua bona est, etiam plus quam bona; quia multa vocantur bona quæ profecto non sunt qualia tu erga me operaris. Verum cum tu me superna tangis suavitatem, quæ animam meam corpusque meum totum penetrat, tunc metuo ne tuam divinam voluptatem nimis in me trahere valeam, cum hujus indigne in terris adhuc sum. Ideo pro aliis interdum magis quam pro me te rogo, quatenus mihi subtrahetur voluptas per Dei amorem et per christianam fidelitatem. Postea timeo superbiæ ascensum, qui præcipuum Angelum e cœlo præcipitavit. Timeo etiam serpentem vanæ gloriæ, qui Evam decepit. Timeo Judæ perfidiam, quæ ipsum a Deo projecit. Si Deo fidelis maneo, tunc cum omni virtute, cum omni bono in custodia, proxima Deo, ejusque virgineæ Matri Dominæ nostræ perseverabo.